



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorius III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvv I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges Francorvm, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolvm Regem directæ, in qua continetur de territorio Sauinense, qualiter Itherius & Maginarius Mißi Domni Regis ipsum territorium in integro partibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

nitudine carnis decoratos, qui dum in omnibus aspectibus laudabiles existunt, vestrum præfulgidum triumphis laudare valeant nomen, & pro huiusmodi re, sicut soliti estis, dignam ab ipso Dei Apostolo suscipere valeatis retributionem, ut una cum Domina Regina vestraq; nobilissima prole, in hoc mundo regnantes, in ætheriis arcibus vitam æternam adipisci mereamini. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continetur de territorio Sauinense, qualiter Itherius & Maginarius Missi Domini Regis ipsum territorium in integro partibus sancti Petri reddere voluerunt, sed propter iniquos homines minimè potuerunt.

LXVIII.

*Summ. 13.
Bar. &
Cent.*


DOMNO excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, Regi Francorum & Langobardorum atq; Patricio Romanorum Adrianus Papa. Ad referendum præcellentissimæ regalis potentia vestrae beneficiis gratias, mens humana, ut reor, fari non potest, de tantis laboriosis certaminibus, quæ erga factorem vestrum B. Petrum, Apostolorum principem, & nos geritis, * cotidiè bonitas suffragia, quatenus ab ipso Dei Apostolo dignam retributionem, & hic & in futuro vestra protectissima excellentia procul dubio credat habere.

** Hac de
prauata
sunt.*

Euntes autem apud Sauinense territorium nostri vestriq; fidelissimi Missi, videlicet filius noster, Itherius, venerabilis Abbas, seu Maginarius religiosus Capellanus,

lanus, sicut per vestrum bonum dispositum, voluerunt nobis contradere in integro iam fato Sauinense territorium; & minimè potuerunt, mittentes varias occasiones peruersi & iniqui homines, tamen & ipsi iam facti fidelissimi Missi, omnia vobis subtiliter vice nostra referre possunt. Quapropter vestræ à Deo protectæ regali potentia Reuerendissimum Missum nostrum Stephanum, dudum Sacellarium, direximus suggerendum, vt pro mercede animæ vestræ sicut coepistis, ita in integro iam * fato territorio Sauinense B. Petro, regni coelorum clauigero, contradere iubeatis, vt ipse Dei Apostolus, pro vestra à Deo promotæ regali præcellentiæ præcipuè suffragans, cum sanctis omnibus regnare mereamini; quatenus pro eiusdem Dei Apostoli amore, & mercedis animæ vestræ, vnum è duobus iam factis Missis, cum præfato Stephano Misso nostro, nobis dirigere iubeatis, vt, sicut ex antiquitus fuit & in veritate iam facti vestri fideles Missi satisfacti sunt, in integro nobis contradere præcipiatis, & signa inter partes constituentes, vt sine qualibet contentione aut controuersia maneamus, vt opinatissima vestra memoria pro hoc in coelestibus regnis maneat ampliata. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

* factum
territorium



h 2

Item